Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

de saxea cordis mei duricia lacrimarum habundanciam
qui de rupe deserti largissimam profluentis aque co
piam prodire iussisti Domine Jhesu criste si tu es lux
vera colo te cur pateris in tenebris esse me Ve michi
lumen adoro et tenebras profero veritati deservio et per
inanium cogitacionum figmenta deludor Domi
ne qui catervas thartari divinitatis tue radijs il
lustrasti qui densas egipti tenebras moysi famuli
tui precibus effugasti respice chaos istud et tenebro
sum mei cordis infimum visitacionis tue luce per
funde ut animam quam tu dignatus es lux eterna
redimere tenebrarum auctor nequeat in obscuritatis
sue caligine possidere Qui illuminasti cecum a na
tivitate illumina me qui leprosos mundasti purifi
ca me Qui lazarum de sepulchro suscitasti resuscita
me vicijs et fetidum et perverse consuetudinis mole de
pressum Qui danielem in lacu a leonum morsibus
custodisti eripe me Qui tres pueros de camini estu
antis incendio liberasti libera me Qui liberasti david
de manibus golie et saulis libera me Qui liberasti
israel de oppressione pharaonis libera me Qui eduxisti
petrum de carcere herodis libera me Domine bene
dicte gloriose piissime iudex et ipse consciencie mee
testis es quia volo mala mea cuncta respuere sanctis
que tuis iussionibus ut dignum est obedire sed quia
nequeo exime spero in te Non enim invenio in carne
mea bonum Et revera domine quis unquam in seculo
ex se virtutem vel sanctitatem habere potuit quis per se
sine tuo auxilio perfectionis culmen ascendit Certe
domine non petrus non paulus non martir non
apostolus non denique ipsi angeli non cherubim aut
seraphim nisi a te percepissent bonum aliquid habere
potuissent Si ergo ipse virtutes celorum nichil
habent a se sed omnia percipiunt a te Quid ergo boni a
me qui sum stercus et vermis pulvis et cinis poteris
expectare nisi quod ipse digneris infundere· Tu enim